



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. Quid & quotuplex sit Juramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

Constitutio B. Pij V. injungentis restitutionem fructuum pro rata omissionis Officii, utpote *quos non fecit suos*, ut loquitur Pontifex in Constitutione *num. 31.* allegata; ergo tenetur hosce restituere, tanquam non suos.

Quid, si ille Beneficiarius sit pauper?

90. Illud tamen rectè admonet Navarrus *cap. 7. de Hor. Can. n. 34.* ac sequitur Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 5. n. 1.* cum alijs; si ipsemet Beneficiarius pauper sit, fructus restituendos pro rata omissionis Divini Officii, eidem per modum elemosynæ applicari posse. Tamen consultum erit hoc casu, si Confessarius aliam similem satisfactionem imperet, puta ut oret, vel sacrificet pro defuncto Fundatore; aut, si malit, Officium neglectum suppleat: & sic fructus pro rata neglecti Officii eidem per modum elemosynæ applicari sinantur.

An Beneficiarius ex justa causa non recitans, teneatur restituere fructus?

91. Quæres ultimò, an Beneficiarius, qui ex justa causa mittit recitare Horas Canonicas, teneatur restituere fructus Beneficii pro rata omissionis? Resp. negativè: idque constat ex citata Constitutione B. Pij V. qua Beneficarij non recitantes Horas post primos sex menses *cessante legitimo impedimento* obligantur ad restitutionem fructuum; ergo, qui ob legitimum impedimentum non recitant, hoc ipso nihil tenentur restituere: nam *exceptio firmat regulam in oppositum*, juxta vulgatum Canonistarum dictum, atque desumitur ex *l. Quæstum. §. denique. ff. De fundo instructo*, junctâ Glosâ *¶. Non potest non videri*,

DISTINCTIO II.

De Juramento,

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Juramentum?

Juramentum debite factum est bonum.

1. **N**omine *Juramenti* in proposito intelligitur actus Religionis, quo quis Deum in testem adhibet ad confirmationem eorum, quæ affirmat vel promittit; eaque ratione profitetur, Divinam veritatem esse indefectibilem. Neque enim Juramentum debite factum ex se est malum, sed potius actus Religionis; unde Deuter. 6. dicitur; *Dominum Deum tuum*

num timebis, ac per nomen illius jurabis. Sed hoc intelligendum est de Juramento debite facto, siye quando juratur in veritate, judicio, atque iustitia, prout requiritur Jerem. cap. 4. & Quaest. seq. amplius dicitur. Quia Juramentum non est de genere eorum bonorum, quæ per se bona sunt, & frequentanda; ut est Oratio, Eleemosyna, & hujusmodi; sed quæ bona sunt duntaxat suppositâ necessitate, seu causâ rationabili. Et de tali loquendo, fit

2. CONCL. I. Juramentum rectè definitur, dicendo: Juramentum est invocatio Divini Numinis in testimonium alicujus rei. Ita D. Augustinus, de Serm. Dom. in monte, cap. 17. & alij. Ratio est: quia finis immediatus usûs Juramenti est confirmatio rei dubiæ, seu controversæ; juxta illud Hebræ. cap. 6. Omnis controversia finis ad confirmationem est juramentum: quo videlicet aliquid affirmamus, vel promittimus sub obtestatione Divini Numinis, ejusque testimonij invocatione.

3. CONCL. II. Inter varias Juramenti divisiones præcipua est illa, qua Juramentum dividitur in assertorium, & promissorium. Ita Scotus in 3. dist. 39. quaest. un. & alij communiter. Ratio est: quia aut Juramentum fit ad fidem veritatis narratæ adstruendam illi, qui audit; aut fit ad promissionem firmandam, qua alteri vel spontè, vel ex ejus impulsu quidpiam promittimus: Atqui prius Juramentum est assertorium, posterius promissorium; ergo. Itaque

4. Juramentum assertorium est, quo simpliciter sine alia promissione aliquid affirmamus, vel negamus. Juramentum promissorium dicitur, quod ad confirmationem promissionis, pollicitationis, aut alterius contractûs, seu pacti corroboracionem adjicitur. Et ad hoc Juramentum promissorium (ut notat Engel sit. De Jurejurando, num. 6.) duplex requiritur veritas: una intentionis, seu veritas dicti, qua jurans verum existimat esse id, de quo jurat. Et altera executionis, seu veritas facti, qua quis in animo habet servare illud, quod promittit, suoque tempore servat.

5. CONCL. III. Juramentum tum assertorium, tum promissorium ulteriùs dividitur in simplex, & solemne. Simplex dicitur omne illud, quod solemne non est. Solemne Juramentum est, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei, v. g. Sancti Evangelij tactum, perficitur coram Superiore, ut majorem auctoritatem æstimationemque habeat: quale

quale potissimum solet fieri in Judicijs, in professione Fidei, fidelitatis, in homagijs, & hujusmodi.

Juramentum per simplicem Dei contestationem, & per execrationem.

6. Rursus Juramentum aliud est per simplicem Dei contestationem; aliud verò per execrationem (quod & *Juramentum execratorium* appellatur) & fit, cum jurans sibi ipsi, vel alteri sibi charo, mali quidpiam à Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit, aut promittit. Porro *Juramentum per simplicem contestationem Dei* censetur esse omne id, quod fit absque tali execratione. Sed occasione præmissorum,

Juramentum an sit, Per fidem meam, &c.

7. Quæres I. An Juramentum censeri debeat, si quis per fidem suam, aut honorem Sacerdotalem, vel Nobilitatis suæ, aliud affirmet, vel promittat? Resp. cum Engel tit. *De Jurejur.* n. 3. Lessio lib. 2. *de just. & jure, cap. 42. n. 4.* & alijs, hujusmodi interpositionem fidei factam hâc formulâ, *Per fidem meam, Fide boni Sacerdotis*, & hujusmodi, non continere Juramentum propriè dictum. Ratio est: quia per illa verba Deus non vocatur in testimonium, sed proferens tantum indicat, se omnino deliberatum, ac memorem fidei, conscientiæ, & statûs sui loqui. Quòd si tamen aliquis per Fidem Christianam seu Catholicam, aut per S. Evangelium rem promitteret, sive confirmaret, pro Juramento haberi deberet: quia censetur Authorem Fidei in testem statuere.

Quid pro Foro externo?

8. Notant tamen Doctores, hujusmodi interpositionem fidei, quam faciunt Ecclesiastici sub honore Sacerdotali aut Religionis, item Personæ Illustres sub honore suæ Dignitatis, Nobilitatis &c. in Foro externo Juramenti loco acceptari, maxime in causis minoribus, in quibus non decet Ecclesiasticos jurare. Quinimò Reges, & Principes non facile aliorum more jurare solent, sed loco Juramenti, in fide, seu per fidem Principis promittere. Layman lib. 4. *tract. 3. cap. 2. num. 3.*

Aliæ jurandi formulæ examinabiles.

9. Quæres II. Quid sentiendum de alijs quibusdam jurandi formulis? Resp. inprimis certum est, hanc esse veram eamque expressam Juramenti formam: *Juro per Deum: Per Deum ita est: Deum testem invoco: Deus mihi testis esto.* Quia hujusmodi formulæ expressam invocationem Divini testimonij in se continent: unde si adsit animus seu intentio jurandi, certum est, habere rationem juramenti.

10. Quòd si quis per simplicem assertionem hujusmodi verba proferat: *Coram Deo hæc dico: Deus scit, me verum dicere: Deus videt, ita esse, &c.* non erit Juramentum: quia Juramentum debet in se continere

tinere non meram assertionem, sed etiam invocationem Divini testimonij, saltem virtualem. Verum in his, & alijs hujusmodi jurandi formulis, spectanda est vel maximè intentio loquentis: qua de causa hujusmodi dicta quandoq; ut juramenta usurpantur; ut videre est apud S. Paulum 1. ad Timoth. 5. *Testificor coram Deo.* Ad Galat. 1. *Coram Deo, quia non mentior.* Ad Rom. 1. *Testis mihi est Deus: quibus verbis Apoitolus jurâsse existimatur.* Econtra multi jurant ex ira, qui non intendunt propriè jurare, sed potiùs imprecari malum, vel patefacere iram. ut observat Lessius cap. 42. num. 7. Unde & huc applicandum illud jam citatum dictum D. Thomæ 2. 2. q. 73. art. 2. *Peccata verborum maximè sunt ex intentione dicentis dijudicanda.*

II. Quæres III. Utrùm isthæc formula, *Volo dictum meum esse juramentum* (vulgò, *Wuff mein Wyl*) veram Juramenti rationem habeat? Resp. I. In Foro externo, seu judiciali, talia verba prolata ad petitionem Judicis exigentis, ut quis juratus annuat, censentur juramentum. Layman loc. cit. num. 1. post Sanchez lib. 3. in Decalog. cap. 2. num. 4. Resp. II. Verba illa, *Wuff mein Wyl* / vulgari sermone plerumque Juramentum continent, si deliberatè proferuntur. Ratio est: quia ad jurandum satis est, velle verba usurpare in sensu à jurantibus communiter usurpato: atqui hæc formula, juxta consuetudinem Germanorum, pro juramento usurpari solet; ergo tale præsumendum est, nisi de alia usurpantis intentione constet.

Q U Æ S T I O II.

De conditionibus ad Juramentum requisitis.

12. CONCL. I. Certum est, atque ab omnibus concessum, ut Juramentum sit licitum, & opus bonum, actûsque virtutis Religionis, tres requiri conditiones, tanquam comites ejus, nempe Veritatem, Judicium, & Justitiam; juxta illud Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitia.* Veritas in eo consistit, ut veracissimi Numinis testimonium non adducatur in testimonium falsi, seu mendacij. Justitia consistit in eo, ut æquissimi Numinis testimonium non adducatur in confirmationem dicti, aut rei iniquæ, & peccato obnoxie. Judicium, seu judicij discretio in eo, ut cum prudenti intellectu confide-